

# Originaler Text der unveröffentlichten oder nur in Ausgaben des 16. Jahrhunderts zugänglichen Briefe

Autor(en): [s.n.]

Objektyp: Chapter

Zeitschrift: Basler Zeitschrift für Geschichte und Altertumskunde

Band (Jahr): 90 (1990)

PDF erstellt am: 22.09.2024

## Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern. Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

## Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

## ANHANG

*Originaler Text der unveröffentlichten oder nur in Ausgaben  
des 16. Jahrhunderts zugänglichen Briefe*

Nr. 8

Ioanni Sinapio Philippus Melanthon s. p. d.

Initio culpam deprecabor, quod nondum tibi persolvi debitum. Meministi enim, quid Spirae promiserim. Sed vides, quanta sit varietas negotiorum, in quae nescio quo fato coniectus sum. Erit tamen mihi curae, ut posteritas perspiciat me ingenium tuum ac fidem plurimi fecisse. Nunc te oro, mi Sinapi, ut hic ostendas mihi, quanti me ac Vitum facias. Cupio Vitum transferre Edelbergam, modo velit deus. Quamquam vereor illi non profuturum nomen nostrae scholae, tu tamen ostendes illic amicis moderatum ingenium in Vito esse. Et ad docendas has artes eloquentiae et linguas admodum idoneus est. Quaeso igitur te, ut quamprimum mihi de tota re rescribas et quid tibi videatur et quid effeceris. Ego multas habeo causas, cur putem et ex re Viti privatim et ex utilitate scholae vestrae et rei literariae futurum, si contingat locus aliquis honestus Vito apud vos. Iterum te oro, ut, quantum potes contendere diligentia atque auctoritate, hanc ut rem nobis perficias. Vale feliciter. Scribam etiam aliis, quibus iusseris, ubi exploraveris eorum voluntates. Iterum vale. Die Martini.

Nr. 10

Domino Ioachimo Camerario, viro egregio amico suo s. d.

Is, qui tibi literas hasce perfert, adolescens est egregio ingenio praeditus, id quod animadvertere ex ipsius oratione statim poteris. Contendit Wittebergam ad Philippum Melanch. fama nominis eius exci- tus, tam certo cum proposito, ut, quamquam nihil ad eam rem paratum habeat (est enim pauper et linguam nostram non callet), tamen vel videre Philippum vel quidvis periculi adire velit. Constitit hactenus apud nos, cum progredi per hiemem non liceret. Quaerit autem praeter hoc videndi Philippum consilium conditionem aliquam, ubi audire doctos homines possit. Iussi eum istac iter facere, ut, si qua fortassis occasio offerretur remanendi vobiscum, ea uteretur et salutato auditoque Philippo rediret ad te. Comperi enim sumptibus pu-

blicis quosdam studiosos ali. Optarim posse eum studia literarum, quae tanto fervore sequitur, apud vos prosequi (posset). Hoc institutum aequum est, ut pro virili iuves. Ego impendi in eum nonnihil, dum apud me hactenus alo in summa rerum omnium caritate. Bene vale praestantissime vir Ioachime. Spiraie die XXVI. Martii. Anno XXXI. Simon Gryneus tuus.

## Nr. 14

Excellenti viro, D. Philippo Melanthoni, patrono suo carissimo.

S. In Angliam ut proficiscare non suadeo, ni rex ipse te vocet; quod si fit, non solum iubeam, sed per Christi gloriam hortarer etiam, ut ires. Praeclari ingenii princeps est, et in religione nutant omnia ac, quod promittere tibi possum, tacite ad nos propendent. Obstat sola illa tam acris iam olim cum Luthero rixa, tum quod ob civiles nostras discordias et tumultus nihildum certi promittere sibi de nobis possunt, si aut sequantur exemplum nostrum aut si solacii quidpiam adversus pontificem et Caesarem sperent. Sensi, cum istic essem: si quis eo vir divinus mittatur, qualem te esse scimus, non est dubium, quin Evangelium, a quo hactenus vix aegre defendunt sese, continuo recipiatur ac superet. Impositum silentium esse Moro, ne de religione scribat, Bibliopola mihi quidam Anglicanus certo narravit, tum pontificem Romanum omni insula cum omni ditioe eiectum. Certe huius omnia decreta illic ridentur. Iam invidiam etiam, quam ob ignobile coniugium apud regni proceres sustinet, abolere facto aliquo illustri et populari rex cupit et mire sollicitus est animis. Mira momenta sunt, quibus magna saepe negotia dominus auspiciatur. Utinam ab ipso vocere! De me dubium est, quid instituant. Ultra Cantuariensis literis salutatur, quamquam ego prorsus, quod dixi, suspicor homines animis fluctuare et opus habere consilio. Faceres, sat scio, operae pretium maximum, et quo nihil hactenus oportunius quidquam fecisti, si hoc tempore de religione aliquid ad ipsum regem scriberes vel epistolari saltem ratione et causam doctrinae Christi principi tanti imperii enixe commendares. Non est dubium, quin et nostri homines sint omnes collaudaturi et rex ipse hac in difficultate constitutus amplexurus vehementissime. Nec refferret, aedas necne. Curandum est autem, ut ipsorum more characteres fingantur liquissime, cum ad regem scribis. Oporteat insuper principem vestrum de eadem re scribere, quod officium christiani videtur. Haec appellatio, sat scio, alliceret animum regis, ut dixi, fluctuantem. Haec de his hactenus.

Consilium de recuperando te tibi et studiis patriaeque ex infinitis negotiis asserendo laudari vehementer, si confidam te istuc vere iam aliquando in animum inducturum esse. Sed fecit bonitas tua, dum impertis omnibus te, parum summa ista commoda et patriam cures. Rursus conscientiam et dominum testor vere et ex animo istuc me solere et cogitare saepe et saepe dicere certissimum ac perpetuum ornamentum patriae futurum fuisse, si doctissimorum hominum consilium ac morem secutus plus studiis te addixisses quam negotiis, quamquam numquam nego usum te patriae maximum et incomparabilem praestitisse, dum tot mortalium animos (quod de me ipso coniiicere possum) potenti oratione, viva quadam vi mentis excitas, inflammas non solum ad studia ista literarum, sed ad pietatem ipsam et coelesti quodam ardore tot hominum pectora suscitās. Verum ubi considero, quo tibi tua mens aspirarit et quo te induxerit, si sequi in animum induxisses, et si scite colere divinos spiritus conatusque tales fovere potuisses, non possum non execrari infinitas has occupationes tuas. De natura vehementer expecto, quid moliare. Scio ingenii vim, quocumque incumbit. Istuc ad Erasmus sic curabo, ut et animum tuum in hac quidem causa intelligat et tamen res haec neque Luthero nec ipsi causae Evangelii fraudi sit. Est enim cautio haec ad Erasmus scribere. Religionis et ecclesiae statum cum intueor, nihil propemodum quam horribile patriae excidium expecto, nisi fide erga Christum meliore sumus. Video orbem terrarum totum offensum intemperie nostra, dum omnes omnia scribunt, statuunt, sequuntur et in sectas tot secta ecclesia est, dum magistrum sapientiae dei quisque se constituit et se audiendum solum putat. O calamitatem miserabilem! Quis finis erit, Philippe, meum decus, meum dulcissimum ornamentum, quis erit finis, aut quis est, qui, cum usurpet doctrinam Christi, circumferre etiam in corpore suo vivam Christi imaginem, Christum moribus pro virili repraesentare velit idem! Sed haec deploramus frustra.

Mittit tibi Iohannes Walderus, consulis nostri gener, iuvenis eleganter doctus, tui studiosissimus, hoc Platonis exemplar: cupit insinuari tibi. Legit libros tuos studiosissime et, si fieret te volente, cupe-  
ret in unum omnia imprimere. Saepe volui inscribere tibi praeclarum aliquem authorem, Platonem hunc certe volui. Una res obstat: de tuis virtutibus, pro ut ego debeo ac pro ut est aequum, sine gravi invidia et offensa nostrorum (de vulgo dico) non possum et video in ecclesia laudes omnes Christo domino deferendas esse. De mea voluntate erga te dominum soleo testari, qui per misericordiam utrumque in via veritatis servabit certus sum. Vale Francoforti Calend. Martii. Simon Grynaeus tuus.

Nr. 15

Domino Joachimo Camerario suo amico s. d.

Fuere iucundissimae mihi tuae, non solum quia rarae (quando enim tu quidem annis tam multis ad me scribis?), sed quia amoris et honestissimi iudicii de me plenae ac Ioachimum mihi, quamquam in ista brevitate, planissime referentes. Mire gratum est officium. Addis tuo iudicio aliquam mihi fiduciam, cum intelligam te non plane nostra fastidire. Quae quidem ego ut indigna iudico, quae a doctis legantur, sic a te non despici, vel etiam approbari, vehementer mihi gratulor. Novi enim iudicii tui acrimoniam. Dico haec, mi Ioachime, sicut sentio. Sed de his satis, ut arbitror, vel etiam nimium. De rebus meis possum uno propemodum verbo tibi respondere. Incredibilis mea est cupiditas discendi et in dies crescit in me τὸ φιλομαθές. Sed inter conandum saepe multumque periclitando eo interdum adducor, ut propemodum desperem posse quicquam a me effici, in quo operae pretium sit, adeo mihi magna videtur auctorum veterum vere classicorum omnibus in rebus et incredibilis excellentia atque perfectio. Haec cum ita fere de me ipso statuam, tamen superat ardor ille discendi contineoque me in studiis. Sed ad istam difficultatem accedit, quod mihi permolestum est, nullam adeo esse inter doctos consensionem. In causa est inter contentiones magnas et necessarias omnino distractio animorum. Cui malo adhibere remedium optimus quisque debebat et in hoc maximo studio incumbere. Nunc nescio quo modo pueriliter litigando tempus conterimus. Magnum etiam impedimentum est, quod neque honorem neque praemia artes bonae adhuc inveniunt. Verum nulla causa est, quin concordibus animis in patriae salutem et eorum, qui secuturi sunt, commoda noctu diuque advigilemus. Haec ad te, Ioachime, scribo, qui eo loci es et cum iis amicitiam annis iam multis contraxisti, ut possis in ista re efficere plurimum. Quod ego te per illam, qua nulla maior esse potest, communis patriae caritatem rogo, ut, si quam iuvandi patriam occasionem ullam perspicias oculis tuis, eam communicare amicis velis et in ea re ostendere felicem istam ingenii vim. Scripsi Schonero de re quadam. Quaeso, in ea conficienda operam mihi des. Vale et me ama. Basileae X. die Iulii. Anno XXXIII. Tuus semper S. Gryneus.

Nr. 20

Clarissimo Viro Domino Joachimo Camerario amico suo s. d.

Quamquam ego propter summam apud me semper auctoritatem tuam viva apud te epistola expediendum esse duxerim, quod volo, ad haec princeps ipse meo hortatu litteris te invitet, paucis addam tamen,

quae etiam mihi videntur. Nam in gymnasio hoc nostro adornando cum sedulo circumspicerem ac tu mihi non nunc quidem tandem sed longe primus omnium semper venires in mentem, quem longe nostris hominibus (pace ceterorum sine adulatione dixerim) rebus omnibus antepono, non ante ab ista re publica tamen et honestissimo loco avocare sum ausus, quam in hanc me spem Amantius noster non impulisset solum, sed pertraxisset etiam. Itaque secutus hominis consilium amicissima sibi de te omnia persuadentis Legatum sic ad te de adducendo te mittimus, ut si temerarios hos nostros de te conatus iudicaris, qui auctor consilii huius mihi et suscipiendi et exequendi fuit, idem veniae apud te fiat impetrator. Sane cum ille multa mihi de studiis, de ingenio, de gratia omnium saepe narraret (quorum nihil fere mihi esset ignotum), istud cogitare coepimus: vix dignam te arenam istic esse. Itaque induci te posse speravimus, ut tua consilia ac studia patriae communi Germaniae magis idoneo loco consecrares, praesertim cum hoc tempore patriae vicinitatem (putemus) non admodum tibi esse iucundam. Nihil addo aliud. Scio autem scholam hanc longe clarissimam futuram, si vel pauci, quibus vere cordi res sit, concurramus. Cetera non iam cohortandi tui gratia, sed eo tantum, ut ne ignores, ad quam condicionem vocere, scribam. Quamquam enim non is es, quem levis ambitio ab isto aeterno studiorum proposito, quo animus tuus flagrat, depellere quoque possit, tamen ne dubites, quin futurum sit, ut iustis honoribus afficiaris. Cupio autem te mihi membra scholae colligenti in eis collocandis adstringendisque succedere. Salarium si non par virtutibus tuis, quas ipsas per se inaestimabiles esse scimus, honestissimum tamen dabimus, quamdiucumque uti condicione hac volueris. Non imponetur tibi onus, quo graveris. Hoc contenti erimus, si explicandis Graecis auctoribus, quatenus erit commodum, qua amoenissima Atticae eloquentiae prata sunt, te una cum studiosis inambulando oblectes. De me ipso possum hoc fide optima testari... operam me daturum, ut sentias vere, quanti te semper fecerim. Faxit dominus Christus, ut in mentem tibi veniat studia publica iuvare, quod unus omnium maxime et hoc loco maxime potes. Vale et me ama. Tubingae ultim. Maii. Anno Christi MDXXXV. Simon Gryneus tuus in domino Christo frater.

### Nr. 23

Istud καμάτω vereor, ut intelligant. Nisi perpetuum id negotium est tibi cum valetudine tua. Utinamque ne eam insturando labefectes. Epistola proxima monui et hortatus sum, ne nimium tibi tuoque iudicio in te medicando concederes. Certe enim proxima amplecti vide-

ris, dum, quod molestum in praesentia est, removeas. Quod genus medendi simile est versurae, cum in aere alieno dissolvendo aes alienum conflatur. Debes tu aliquid afflictae valetudini. Vellem, cogitares, hoc aes alienum quomodo totum dissolveres consultis serio praestantissimis medicis et adhibito vitae studiorumque modo. Nam ego certe puto neque victus te eam habere rationem, quam oportebat habere καὶ εἶναι ἐνιαχῆ ἀκρατέστερον et ita in pertinacia legendi commentandique illud malum sic promanare, ut ex montibus rivi solent. Sed quid istud monstri est me desperata propemodum valetudine hominem instituere consilium tibi dare! Ignosces igitur. Incido in me ipsum meque ego ipsum admoneo in te monendo. Curabimus ergo suam uterque. Sic scilicet ut hactenus, inquires. Nolim sane. Et non immerito hoc reprehendatur in utroque malum, quod ad aliquem proxime pertineat, negligere vel etiam fovere. Videat sibi quisque. Tu dabis operam, mi frater, ut nobis bene valeas. Vale in domino Christo, qui nos secundum bonam voluntatem suam benigne conservet. Salutabis meis verbis istic amicos. Iterum vale cum tuis omnibus. Basileae ultima Iulii. S. Gryneus T.

## Nr. 24

Singulari doctrina viro, Domino Ioachimo Camerario, suo amico.  
S. D.

Dolet mihi vehementer accidisse ea, de quibus scribit D. Amantius. Sed quia tu nihil quereris, neminem accusas, nullam ob rem magnopere te angere ostendis, ideo sum aequiore animo. Etsi ignota mihi quaedam στεργότης tua in talibus non est. Ego hoc tempore praesens apud vos esse non possum, nisi cum maximis incommodis publicis et privatis, quae demonstrare non est opus. Tu igitur ferere molestias istas. Non autem ferendas esse diu confido. Crede mihi valde expetere me communionem studiorum et dulcissimos sermones tuos. Sed ut summa mihi hodie ista voluptas futura esset, sic ea frui non conceditur. Nihil impono tibi, quo gravari possis. Unum te oro, ut principio esse animo magno velis. Cum autem te timidum non esse sciam, scio tamen esse verecundum. Tu vero non est cur spectes alios, te spectent et spectabunt omnes. De Theonis libro nunc quoque obsecro, quam primum illum ad me mittas. Habemus in manibus μεγάλην σύνταξιν Ptolemaei, quae hic exprimitur. His illa addentur neque per quem hic nisi per me res ista curari recte possit non video. Exemplar servabitur et tractabitur sic, ut nulla in parte labefactatum restituatur. De rebus vestris et scholae processu, quid fiat et quae tua spes sit, audire cupio.

Vale, et da operam, ut me brevibus istis argutisque et suavibus epistolis tuis exhilares. Gestit animus mihi statim, ubi tuas aviculas video. Scire cupio, quae sint et cur tibi signo isto uti libuerit. Salutabis amicos istos nostros. Iterum vale. Gryneus tuus.

Nr. 31

Ioachimo Camerario suo amico. S. D.

De praefatione in Favorinum, quem a te peti mihi significavit typographus, oro te, ne neges. Nam incredibile est, quantis impensis constet opus. Posses dicare alicui, ut frons, quemadmodum Pindarus ait, vestibulumque appareat augustius. Περὶ πνεύματος libenter obsecutus ei fuisset et convertissem libellum quamquam mire angustum sententiis et concisum. Facere tamen illud hoc tempore non putui cum ob alias occupationes, tum quod nullam ad rem paulo magis seriam applicare et intendere animum possum ob luctum meum atrocissimum, quem et notum et cordi tibi esse maxime scio. Praestantissimum virum et carissimum vitae socium amisi. Dominus Christus servet te nobis in hoc studiorum cursu alacrem et integrum. Ipse valetudinem sustineo, sicut possum. Necesse autem est corpus imbecille et languidum magnis doloribus et gravibus curis vehementer perturbari et affligi. Vale. Salutabis amicos istos nostros meis verbis et tuam familiam imprimis. Basil. S. Gryneus. R.

Nr. 36

Ioachimo Camerario viro clarissimo, amico suo s. d.

Libellum τοῦ περιπατητικοῦ exiisse tandem comperi. Ferunt quosdam peti amicos nostros, etiam quaedam torqueri in Caesarem. Mihi nondum videre contigit. Unum exemplar allatum huc est et curatum statim a me, ut prohiberetur editio nostris. Itaque libellus iste hactenus latet. Non scribo haec ideo, quod te magnopere hac re commoveri credam. Etiam de te mentionem nominatim non fieri puto, vel certe non inhonorificam. Mihi ille discedens bellum propemodum indixit, βοή δὲ οὐδένα ἀπέκτεινε.

De his igitur tantum. Ptolemaei reliqua mitto nunc. Theonem ipsum quoque aggressi sumus iam, ac pari diligentia elaborabimus. Tu, quid constituere velis, decernes. Praefationem adornabis, ut Calendis Aprilis eam habeamus. Commendo tibi scholam et causam illam, quam maxime curae mihi scis esse, et debet bonis omnibus. Non possum plura nunc scribere in turba, quam excitavit hic quorundam scelerata improbitas, de qua percontari istum, qui has reddit, poteris,



nuntium sane minime facundum. Saluto amicos, D. Brentium imprimis, et tuos. Christus servet vos omnes. Vale III. die Decembris. S. Gryneus tuus.

Nr. 41

D. Philippo Melanthoni suo amico et patrono. S.

Qui has tibi reddit, pius doctusque iuvenis est, singulari studio desiderioque te videndi ad vos profectus. Oro te, ut in colloquium tuum hunc admissum non alienum prius in causa concordiae publicae virtute tua prorsus devincire Christo et ecclesiae velis. Nomen habet aliquod inter suos et destinatus ad rempublicam Bernatum est praecipuo quodam in loco. Sic est in domino tua felicitas, ut optimus quisque cognoscere maxime cupiat. De rebus nostris omnibus optime ex hoc potes intelligere. Haec de isto. De tota republica patriaque Germaniae valde ex te aliquando scire cupio, quid consilii pii sanctique viri capiatis. Non enim non moveri omnes statu huius periculosissimo possumus. Ac quia summi semper viri in ea cogitatione studium consiliumque omne suum consumpserunt, audire ex te cupiam maxime, quid saltem tibi videatur. Esse enim tempus hoc videtur, quo aut consulendum patriae est, aut spes omnis in posterum abiicienda. Neque instabo valde iam, ut mihi respondeas; magis id expectarim, ut in commune rebus ab optimis viris consulatur. Certe non ad nihilum nos dominus consilio suo et rebus hoc tempore praeclare instruxit, et res ipsa multis modis invitat. Nam ita puto principes Austriae, qui soli hactenus pulcherrimis successibus evangelii obsistunt, edoctos malis suis aliquanto iam melius adduci posse, ut consuli patiantur rebus. Hisce cogitationibus scio noctu die exerceri tibi animum. Itaque cupiam aliquid intelligere ex te. Rogo etiam, ut amicitiam, quae mihi olim est cum bonis istic instituta, efficere velis, ut integra mihi maneat. Etiam negotiis fit, ut ne possim ad omnes scribere. Vale in domino Christo, qui te pro voluntate sua sancta bene servet. Amen. Sept. Calend. April. anno 38. Basileae. Simon Grynaeus tuus.

Nr. 45

Domino Ioachimo Camerario suo amico s. d.

Cum Vormatia discederemus in illa festinatione et tumultu, dum ad iter accingimur et colligimus sarcinulas, scripsi ad te, quae vidisti, negligentissime ad tuas elegantissimas et doctissimas respondens. Sed non potui nunc melius, et fortasse non possum omnino. De

Chartis curavi. Cum Argentoratensibus egi *περὶ ἱστορίας*. Ipse huius conventus narratiunculam quandam brevem pertexui, quam descriptam mittam tibi. Feci id ideo, ut alios ad scribendum, si possem, excitarem. Ostendere volui aliquo saltem pacto, hae res, quae hoc tempore geruntur memoria dignae, quam indigne a nostris hominibus negligantur. Quod te oravi, ut ad Iacobum Sturmium saepe scriberes, hoc exoratum esse patieris. Ex re erit. Haec inter occupationes plurimas scripsi vixdum domum reversus. Tu cura, ut valeas. Saluto amicos. Basil. Simon Gryneus tuus.

Nr. 47

D. Heinricho Bullingero et Theodoro Bibliandro, suis in Domino venerandis.

Salutem et pacem. Quid scribam nescio, adeo non sum apud me. Lacrimae sunt, planctus et eiulatus multus et non est, qui consoletur. Migravit enim Grynaeus noster ad superos. Nihil addo. Interim dum ille graviter laborat, venit calamitas alia, tanto gravior, quanto pestilentior: Decanus inquam Pataviensis, propheta novus, immo Pelagius novus, qui, postquam Norimbergenses fefellit et, praeter alios adhuc multos, Argentinenses, tandem huc venit sperans se posse errores suos spargere in mundum, eo quod liber populus nec Papae sit obligatus nec vereatur Caesarem et regem. Nam hanc causam ipsemet mihi dixit rogavitque, ut ideo consilium ipsius pro viribus promoverem. Postquam vero privatim nonnulli sunt congressi cum eo et experimento perceptum hominem esse non bonum, docere velle non doceri, mirabiliter iactare suas revelationes et alia huius generis innumera, insum cum dominis nostris, ut honorario munere dato dimitteretur. Veniet procul dubio ad vos. Commiserunt itaque fratres, ut promoverem, qua possem diligentia, ut ab eo caveretis statim. Nam talis est, ut et se et libellos suos pulchre insinuet et incendium excitet, ubi minime putasti. Longum esset narrare, quae hic designavit. At, quia tempus non est, reservabo in posterum. Timui, ne hasce praeventurus esset. Verum, dum scrutor diligentius, hinc recta profectus est ad Episcopum Basiliensem. Ita se ingerit apud omnes sine discrimine, si queat invenire, qui ad confundendum omnia sit auxilio. Cavete. Valete in domino, fratres charissimi, et boni perplexitatem hanc consulite. Basileae raptim.

8. Aug. anno 1541. Os. Myconius vester.